

*ascendat, quod pluribus medicinas tribuerit qui
inde mortis periculum incurrerint.*

Ad aures nostras, te significante, pervenit quod cum in arte physica eruditus existas, pluribus circa ipsius artis traditiones medicinas cum diligentia tribuisti, licet pluries in contrarium tibi successerunt, et quibus putaveras adhibere cautelam, me-

A dicinis perceptis, mortis periculum incurserunt. Verum quia [sicut asseris] ad sacros desideras ordines promoveri et nos super hoc consulere voluisti, tibi duximus respondendum, quod si super præmissis conscientia [videtur te quomodolibet] remordere, ad majores ordines de nostro consilio non ascendas.

EPISTOLA RICHARDI ANGLORUM REGIS AD CLEMENTEM III PONTIFICEM ROMANUM

De pace factu inter ipsum et Tancrenum regem.

*(RIMER, Fædera, Conventiones, Litteræ inter reges Angliæ et alios. Londini 1816, in-fol.;
tom. I, pag. 68.)*

Reverendissimo domino ac beatissimo Patri CLE-
MENTI, Dei gratia summo pontifici, RICARDUS, eadem
gratia rex Angliæ et dux Normanniae et Aquitaniæ,
et comes Andegaviæ, salutem et siueræ in Domino
devotionis affectum.

Justiore exitum facta principum sortiuntur, cum
a sede apostolica robur et favorem accipiunt, et
sanctæ Romanæ Ecclesie colloquio diriguntur.
Prænde dignum duximus ad notitiam beatitudinis
vestræ quæ inter nos et dominum Tancrenum illu-
strem Siciliæ regem, publico nuper et admodum
necessario celebrata sunt tractatu [proponere].

Sane dilectionem fraternalm et pacem perpetuam
cum eo firmavimus, quam magnatum nostrorum
archiepiscoporum, episcoporum et plurimorum vi-
rorum illustrium juramentis ei, et suis, et regno
suo, et toti terræ dominationis suæ, nos illibata
fide promisimus servaturos. Cum ipso etiam pacis
et amicitiae fœdus arctiori adhuc vinculo astrin-
gentes, inter Arthurum, egregium ducem Britan-
niæ, charissimum nepotem nostrum et hæredem,
si nos decidere sine prole contigerit, et illustrem
filiam ejus matrimonium, volente Domino, condixi-
mus contrahendum, quod Domino largiente debi-
tam consummationem accipiet, cum illustris puella
nubiles annos attigerit, aut prædicto domino Tan-
credo regi placuerit ut infra nubiles annos illa in uxo-
rem nepoti nostri desponsanda tradatur, nos ipsum
nepotem nostrum hoc facturum concessimus, si san-
cta Romana Ecclesia decreverit super hoc dispen-
sare. Pecuniam vero quam pro matrimonio ipso ad
opus nepotis nostri ab eodem domino rege Tancredo
recepimus, scilicet viginti millia unciarum auri, si

B forte, quod absit, morte interveniente alterius, aut
culpa nostra aut nostri nepotis, aut partis ipsius
matrimonium non stare, nos aut hæredes nostri
ipsi domino regi Tancredo aut hæredibus ejus ex
integro restituere, præstitis super hoc sacramentis,
ex parte nostra tenemur.

Ut igitur tenor pacis initæ et initiati matrimonii
fides cum integritate debita ex parte nostra et ne-
potis nostri servetur, sicut ipsi domino Tancredo,
interposita jurisjurandi religione, firmavimus, sa-
cramentum vestram et sanctam Romanam Ecclesiam
obnixe rogamus, quatenus et firmata pacis servan-
da perpetua et matrimonii consummandi, vel, si ex
prædictis causis matrimonium ipsum non fieret,
restituendæ pecuniæ sancta sedes apostolica fide-
jussionem pro nobis suscipiat erga dominum re-
gem Tancrenum et hæredes ipsius. Cuius fidjus-
sionis onus, ut confidenter nobiscum Romana Ec-
clesia suscipiat, præsentiarum litterarum testimonio
vobis et sanctæ Romanæ Ecclesiae liberam conce-
dimus potestatem nos et hæredes nostros, et terram
nostram districtius coercere, si contra pacem præ-
fatam veneimus, vel prædictis causis matrimonio
non secuto, nos aut hæredes nostri solutionem pe-
cuniæ negaremus.

Ad honorem utriusque regni vestra novit beat-
tudo spectare si, mediante Romana Ecclesia, pacis
pariter, et matrimonii bonum ad congruum finem
deveniat; unde multiplex in futurum utilitas conse-
quatur.

Testibus nobis ipsis, 11 die Novembris, apud
Messinam.